

§ 12.

Fortasse nostra Esaiæ & illa Ezechielis visio parum discrepat ab ea, quæ in transfiguratione Salvatoris discipulis, Petro, Jacobo, & Johanni contigit, & a *Matthæo cap. XVII. Marc. IX. Luc. IX.* describitur. Refert Matthæus Christum esse transformatum, *ita tamen*, quod bene monuit Hieronymus, *ut nequaquam pristinam formam & faciem perdidit, vel amisit corporis veritatem, & assumpserit corpus vel spirituale, vel acreum*; sed ut substantia ejus gloriæ luce resplenderet. Lucas dixit: *Species vultus ejus alia facta est*, & Matthæus: *Facies ejus* (quam ex lineamentis cognoverunt discipuli) *splenduit uti sol.* Sic & vestimenta ejus candida luce corruscarunt, & secundum Matthæum *erant sicut lumen.* Sic & Lucas: *Vestitus ejus erat candidus & refulgens.* Apparuit itaque Filius Dei in corpore suo humano, radiis Majestatis corruscante, in simili & Esaias & Ezechiel ipsum viderunt.

§ 13.

Eam lucem non fuisse angelos, quos quidam per lucem primigeniam definiunt, ex duplici ratione cognoscimus. Lux primigenia non spiritualis, sed corporalis fuit; nam post lucis primigeniæ & tenebrarum separationem factus est dies, diem vero corporalis lucis præsentia producit. Ipsa quoque visio nostra, ut & altera Ezechielis bene distinguit angelos a gloria Domini. Angeli ministrorum regionum instar steterunt coram Domino; Domini vero gloria alia luce splendens ab Ezechiele describitur. Fuerunt quidem Judæi, sed plumbei & in rebus spiritualibus carnales, qui angelos quosdam מן הגופים הייסודיים הדקים ex corporibus elementaribus & subtilibus creatos esse putarunt, uti constat ex Cosri p. IV. §. 3. p. 276. Sed hæc spectant ad alia similia a Judæis sine ratione cogitata.

§. 14.